The Academy

libenter igitur tē in numerum discipulōrum meōrum accipiam. abī
20 nunc. crās ad theātrum redī et scholam meam audī.'

Quīntus laetissimus ad ātrium rediit. ad portās accēdēbat cum intrāvērunt duo iuvenēs rīdentēs et magnā vōce colloquentēs. alterum Quīntus agnōvit; oculīs suīs crēdere vix poterat: Marcus Cicerō aderat. Quīntus eum vocāvit. ille sē vertit et 'dī
25 immortālēs!' inquit, 'nōnne Quīntum videō? nēmō mihi grātior Rōmā vēnit quam tū. venī mēcum; in urbem ībimus et aliquid vīnī bibēmus.'

Quīntum in urbem dūxit et mox in tabernā sēdēbant vīnum bibentēs. 'age, Quīnte,' inquit, 'omnia mihi nārrā. quandō Athēnās
30 advēnistī? quid Rōmae fit? quid audīvistī dē patre meō? utrum in perīculō manet an in ōtium recessit?' Quīntus omnia ei nārrāvit dē studiīs suīs, dē morte Caesaris, dē perīculīs urbis. Marcus 'vēra dīcis, Quīnte. tempora numquam difficiliōra fuērunt. propter eam causam pater me Athēnās mīsit, quod ipse maximō in perīculō est.
35 itaque in Lycēō studeō. sed haec studia mihi nōn placent; scholās Cratippī vix intellegō et librī philosophōrum frīgidī sunt. praetereā in angustiās quāsdam incidī. nam omne argentum quod pater mihi dedit iam cōnsūmpsī. pater plūs argentī mihi nōn mittet nisi meliōrem fāmam dē mē audīverit. quid faciam?'

agnōvit recognized
dī immortālēs! immortal gods!

aliquid vīnī some wine

Lycēō the Lyceum
frīgidī boring
angustiās (f. pl.) difficulty
cōnsūmpsī I have used up